



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 43. Pragmatica Sanctio in Galliis quodammodo observata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. XLIII.

*Pragmatica Sæditio in Gallis
quodammodo observata.*Sæcul. XV.
A.C. 1461.

Ceterum summus Pontifex non adeo copiosos, ut speraverat, fructus ex abrogata Pragmatica collegit. Rex enim in causa Neapolitani Regni datam sibi fidem violari vehementer indignabatur, atque se a Papa illusum ratus, remissius diplomatis sui executionem urgere coepit, quinimo ipse etiam Atrebatensis Cardinalis infidelitatis suæ poenas dedit, ac Regis gratia excidit. (*) Obluctabatur

*Pithou to. 2.
de libert. Ec-
cles. Gallic.
Pinson. l. c.*

(*) Hujus promissi nec Spondanus, Odoricus Raynaldus, Palatius, Pagius, Platina, Gobelinus, Thomassinus, Petrus de Marca, P. Zalwein nec alii mentionem faciunt, hinc commentum in cerebro nonnullorum Gallorum male excoctum esse conjicimus, quo prætenfa non interruptæ libertatis jura vindicare nituntur. Solam Universitatem huic abrogationi obluctatam fuisse novimus; præterea Regem Neapolis causam suscitasse, haud verisimile est; postquam enim Pius II. Legatorum de rebus siculis agentium rationes plene confutaverat, vid §. CXVIII. *Franco nec amplius de Regno Siciliae verba fecerunt*, ut inquit Palatius in Pium II. num. 10.

Hist. Eccles. Tom. XXIX. D

Sæcul. XV.
A.C. 1461.

batur quoque Parlamenti Curia, & Parisiensis Academiæ Doctores, eorumque rationes, quas Regi adversus Pragmaticæ abrogationem proposuerunt, haud parum conferebant, ut Rex errorem suum agnosceret; exponebant enim illi, Sanctionem Pragmaticam ejusmodi legem esse, præter quam nulla alia unquam in toto regno suam vim auctoritatemque solemnus ab Ecclesia universali recepisset; etiam Regni felicitatem non ab alia ætate, quam a legis hujus institutione suam epocham repetere; Ecclesias ab ipso Sanctionis exordio continuata serie Præsulibus omni laude dignissimis abundasse. Inde vero Parisiense Parlamentum intulit; hanc legem a Rege omnino servandam esse. Insuper Senatus Tolosanus, postquam Regium Diploma anno posteriore in Mense Aprili acceptaverat, se id nonnisi urgente Regis mandato fecisse declaravit. Horum oppositione factum, ut Pragmatica quantum ad potissimos articulos semper vim legis obtinuerit, ac ipsemet Rex successu temporis de *reservationibus*, & *expectativis* nova condiderit decreta, quamvis hæc ipsa duo capita ferme sola essent, quæ post abolitam pragmaticam in emolumentum Pontificis cesserant; proin Curia Romana usque ad concordatorum tempora nunquam voti sui plene compos facta est.

§. XLIV.